DE CONTAGIORUM PRAECIPUA ACTIONE IN QUIBUSDAM...

Giuseppe Bonomini

DE CONTAGIORUM

PRAECIPUA ACTIONE IN QUIBUSDAM ORGANIS
EORUM CHARACTERIBUS AC DISCRIMINE

INAUGURALIS DISSERTATIO

QUAM AD MEDICINÆ LAUREAM CONSEQUENDAM
IN CELEBERRIMA STUDIORUM

UNIVERSITATE PATAVINA

PROPONIT

JOSEPH BONOMINI

VERONENSIS

VERONÆ

EX TYPOGRAPHIA TOMMASI

M.DCCC.XXXIV.

PERILLUSTRI VIRO

PETRO TREZZOLANI

VERONENSI

MEDICO PERITISSIMO

Quoties Tu, Praestantissime Vir, dilectissimam Matrem meam teterrimis saepe morbis divexatam pristinae valetudini restituisti, toties Te mihi vitam reddidisse persensi. Cuinam ergo potius quam Tibi primum hoc meorum studiorum specimen inscribere debebam, cui praetiosissimam vitam acceptam refero? Scio quidem Te nobilissimae artis exercitio, ingenii sagacitate, balneorum sulphureorum institutione de aegrotantibus plurimum meruisse; sed quae mea sunt mihi magis arrident; et tanta est humanitas Tua, ut munusculum hoc quantulumcumque sit probatum Tibi fore confidam.

Dabam Patavii IV. *id. Januarii* MDCCCXXXIV.

Tui Observantissimus
JOSEPH BONOMINI

Abstrusa illa, et philosophica exercitatione dignissima quæstio semper visa est, quæ de pestifero veneno instituitur.

LANCISI

In conspectum vestrum hodierna luce, Præceptores celeberrimi, quamplurimis exagitatus affectibus venio. Dum enim gratias vobis referre deberem pro beneficiis, quae per quinque annorum curriculum in me contulistis, vestram denuo humanitatem et benevolentiam implorem necesse est, ut beneficium alterum ad cætera velut cumulus accedat hodierna et mihi faustissima die, qua de medico argumento coram vobis sum locuturus. Quî enim auderem tanta ingenii tenuitate in hac Musarum sede de Contagio disputare, nisi notum esset mihi perspectumque, qua propensa voluntate, et singulari officio adolescentium labores excipiatis, iisque adjiciatis animum ad nobilissimæ artis exercitium alacriter suscipiendum? Scio equidem quot de contagio quæstiones a Medicis fuerint exagitatæ. Ipse quoque in medium tutissimus ire enitar, eaque omnia quae magis ad rem faciunt afferam, et quid persentiam explicabo.

Contagium, si Etymologiam nominis quaerimus, nil aliud est, quam morbus, qui a contactu inter

corpus sanum, et inter aliud corpus morbose affectum evolvitur; pari modo quo fluidum electricum agit, quod si in una substantia abundet, ad alteram æquilibrii lege defertur: sed si contagii voci largiorem sensum tribuere velimus, non solum a contactu, ut diximus, verum percipitur etiam sine ullo contactu corporis labe contagiosa inquinati; quod et Medici celeberrimi sensere, dum contagia in fixa et volatilia diviserunt. In primis necessarius est contactus ad contagii propagationem; deinde propagatio fit absque contactu. Quibus contagiorum classibus, tertiam nonnulli addiderunt, eorum scilicet, quæ absolute fixa et absolute volatilia esse contendunt; ea quæ sine contactu extendi nequeunt; hæc quæ nonnisi vehiculo aliquo intercedente proferuntur. Et re quidem vera vehiculum illud, contagii vim sæpius immutat, ita ut pro aeris constitutione, locis, nec non ægrorum pathematibus contagiosæ infectionis singulis annis plus minusve dominentur, quæ cum varia summopere esse possint, contagiorum divisionem superius allatam magis congruam censemus, in qua quidem ambiguitas inesse non potest; nunquam enim hi morbi sat subdividuntur, ut magis perspicuus eorum ordo et magis propria definitio emergat. Quæ cum ita sint, de contagiorum genesi, et de modo quo propagantur erit mihi dicendum.

Aer alimenta, et conditio physico-moralis populi alicujus, aut plurium hominum sub iisdem circumstantiis viventium, aut denique unius tantum

hominis in causa sunt, cur contagia evolvantur; quæ quum ita sensissent clar. Altomarius, et Marsilius Ficinus, de aere disseruerunt tanquam eorum morborum causa. Boudet omnium primus aerem ex se minime contagiosum fieri posse declaravit. Sthaal aerem posse phlogisto imbui et damnosum esse autumavit, sed opinionem suam non ita ut par erat explicavit. Celeberrimus tandem Lavoisier hanc Chemiæ pneumaticæ partem accuratius illustravit. Patet ergo ex Chemicorum etiam antiquorum experientiis aerem semper iisdem principiis constare; adeoque aeris contagium ab heterogeneis moleculis oriri, quæ cum illo immiscentur, et quæcunque Endiometri tentamina fallunt. Hinc carcerum et Nosocomiorum typhi, qui facillime cum Contagio confundi possunt, et in gravissimos errores practicos inducere; hinc gangrænæ nosocomialis adparitio in ægrorum vulneribus, ulceribus, etc. quæ peculiari adspectu manifestatur, quamque derepente induunt omnes continuæ solutiones, quæ colorem nunc album, nunc rubro-pallidum offerunt; maculæ dein observantur coloris albo-cinerei, quæ celeriter diffunduntur, et totam occupant vulnerum aut ulcerum superficiem, margines tument, nigrescunt, et pro pure saniem fœtentem, aeque ac superficies, exsudant; generalibus tum phænomenis prodeuntibus, gangrænam nosocomialem adesse asserere non dubitamus, quæ non nisi ab aeris nosocomiorum corruptione est repetenda: ut elicere fas est etiam ex methodo, quacum gangrænæ propagatio intercipitur. Hic recensere oporte-

ret historias celeberrimi Rasori de Peste Genevæ, et clarissimi Acerbi de Contagio et morbo Petechiali, opus Mediolani editum anno 1812.

Tali pacto argumenta nihili sunt facienda, quæ nostra ætate afferunt nonnulli Scriptores de Contagiis, eorumque defensores, qui miasmata cum Contagiis confundunt: quem errorem clarissimi Viri Brera et Rasori penitus profligarunt: nec jam Altomari, Ficinus, Roculet et Sthaal deceptos fuisse putamus, cum aetatem mente perpendamus, qua de istiusmodi argumento scripserunt; differentia enim inter Contagium et miasma non nisi posterioribus temporibus innotuit.

Corrupta alimenta et putridæ potiones miserrimos morbos important; et perinde ac aer morbos Epidemicos, non contagiosos ingenerare possunt; quæcumque scilicet sit ciborum et potionum degeneratio; nunquam inde contagium orietur, sed morbus habebitur, qui sub data aeris temperie, soli humiditate, immunditie, incuria, plurimorum commercio, primum epidemicus, dein sub quibusdam nostrarum virium conditionibus contagiosus fiet. In errorem igitur incidere videntur ii, qui contagia sponte, et nulla præeunte causa docent evolvi, quorum doctrina ab auctoritate et sapientia illustrium virorum Sydnamii, Boerhaavii, Vans-Wieten, et Giannini emendata fuit; nam postremi ubi de Variolis et de peste Europea scribunt, multis argumentis probant, hæc contagia non potuisse sponte generari, sed quidem augeri ab exhalationibus foetentibus, a sepulcris et ab ipsis bellis, quæ in homines miserrime insaeviunt.

His duabus causis, conditionem alteram addimus, quæ physico-moralis appellari potest; hæc fibram ad contagiorum actionem sentiendam disponit; nunquam vero principium contagiosum inducit, et eo magis ex parte morali hujusmodi causa gravis evadit, quo scimus animam summopere in corpus agere; cujus rei summus Harthmannus in sua Pathologia nos certos reddit, et vel ipse Tissotus in suo tractatu de nervorum morbis. Profecto illa animi abjectio, quæ ex annonæ caritate homines premit, tam praepotens causa moralis est, ut homines ipsos ad instar brutorum redigat, et suimetipsorum cognitione et ratione privet, immutatis etiam vultus, atque oris lineamentis; hinc quo magis corporis oeconomia proclivis erit ad sentiendam variorum agentium externorum, quibus circumdatur, impressionem, facilior habetur contagii evolutio: et reapse Vallius refert, Græcos, qui longis jejuniis consumpti, et contagii timore magis perculsi fuere, contagioso morbo plus quam Turcas affectos fuisse, qui Religione, immo superstitione sua caeci ad bellum prosiliebant. Aer impurus igitur, corrupta alimenta, et putridæ potiones; nec non conditio physico-moralis, in quibus homines versantur, maxime conferunt ad contagiorum genesim explicandam; nunquam vero contagium edunt, ut olim putabatur.

His praemissis, quid Veteres de contagiis cogitaverint videamus.

Toti ipsi erant in observandis morbis, qui eodem tempore magnam hominum multitudinem affi-

ciebant, et ab uno ad alium hominem propagati, celeriter ingentes victimas cumulabant; sed ob observationes nimis laeves ea non obtinebant, quæ contagiorum progressum impedirent; et contagia non evitabilem vindictæ Cælestis effectum esse aliquo tempore existimarunt, et historiae saepissime testantur, quantum terroris per universum orbem perniciosi contagii manifestatio importavit. Imperium praeteritis aetatibus summum exercebant superstitiosi errores, metus iratorum numinum, sacerdotum furor, ignorantia populorum; quare indignari certe non poterunt de generali contagiorum in plebem actione, quæ præcipuum illorum morborum characterem constituit, unice varium quoad praedispositionem quorundam organorum, et quoad majorem nonnullorum facilitatem ad impressionem sentiendam; ex quo factum est, ut saepe epidemici quidam morbi cum contagio proprie dicto confunderentur.

Veteres igitur de Contagiis recte non sentiebant, proptereaque nulla praecepta certa de iis tradere poterant; eorum theoria, quam praxis incerta et confusa erat; phænomenorum explicatio fallax; curae methodus ambigua, nec rationalis: quod sibi facile quisquis persuadebit, qui vel leviter attigerit opera Hippocratis, et eorum qui Hippocratem, et Gallenum secuti sunt. Ab aegris in clauso loco coacervatis, mutatio plus minusve estensa inducebatur in aere atmosphaerico, quae propterea in causa esse poterat, cur morbus propagaretur; et hoc epidemiae genus distinctum fuit a contagio, cum quo autem confundebatur, et epidemia dicta est ex infectione.

Fatendum tamen est Fracastorium, et Palmarium melius de Contagiis sensisse; sed veræ doctrinæ laus Neotericis debetur, qui sicut in pluribus scientiis naturalibus magis quam antiqui diligenter, studioseque versati sunt; ita in illustranda variarum affectionum theoria viderunt opus esse methodo studii magis ordinata, et examine distincto omnium adjunctorum, quæ eorum morborum progressui favent; nec non ipsarum affectionum distributione, ut evidentius pateat, quid sibi in iis vindicet locus, atmosphæræ mutationes, ægrotantium contactus. Distincti hinc morbi fuere in Endemicos, Epidemicos, Contagiosos; si vero quoad evolutionem, typum et characteres cæteros Medici sat edocti fuerunt; de contagiosis tamen plurima adhuc supersunt desideranda.

Morbos Endemicos prima horum morborum classis complectitur, qui soli fortasse antiquorum studia exercuere; ipsi ob id ab aliis differunt, quod a causa quadam loci propria producuntur.

Morbos Epidemicos secunda continet, qui semper ab immutatione originem ducunt quarumdam rerum, quæ ad vitam magis necessariæ sunt, nempe aeris, potionum, alimentorum etc. Morbo istiusmodi homines plures una simul laborant, quia causa communis fuit; immo causa illa sublata omnes simul convalescunt.

Ad hanc eamdem classem morbi pertinent ex infectione; collectio videlicet hominum aegrorum, et quandoque etiam sanorum in locum nimis angustum,

putrefactio substantiarum animalium, aut vegetabilium aerem inficiunt ea de ratione, ut in multis idem morbus ex eadem causa producatur, adeoque Epidemicus sit. Huc pertinet misera illorum Anglorum historia, qui in India (*) Orientali horrido carcere inclusi, ad unum omnes periere, eo quia aer (verbis Sthaal loquar) plusquam opus erat phlogisto superabundabat.

Quarta denique agit de Contagio proprie dicto, cujus character peculiaris in eo consistit; ut propagetur tantum per contactum immediatum hominis sani cum aegroto; aut per contactum magis remotum hominis non adfecti cum substantiis, quas aegrotus tetigerit. Ita doctissimi viri veræ horum morborum cognitioni analysim religiosissime adplicare tentarunt, ut clarius pateret propagationis modus, et causæ clarius intelligerentur, quæ morbos evolvunt.

Id superesse videbatur, ut definiretur, quam partem haberet unusquisque modus propagationis in progressu affectionis, quæ existimabatur contagiosa, quamvis talis non esset, sed aut ad unam, vel aliam harum trium specierum pertineret: quærendum erat deinceps utrum ex his morbis unus agere posset per se separatim, an simul cum alio; et utrum morbi complicati immutationes subire possent. At humanum ingenium, quod vim imaginandi sequi solet, nimis grave sentit, si solum factis fidem praestare debeat; et persaepe refutatis sanis principiis, quæstiones cupit confundere, ut nunquam disputationes cessent, ut proprium ingenium declaret. Rasori Me-

(*) V. Sulmon Stor. dei costumi di tutti i popoli, di tutto il mondo. Venezia Albrizzi.

dico celeberrimo laus erat reservata operis perficiendi, qui in Liguris Epidemiæ descriptione ad maximum excellentiæ gradum scientiam extollere potuisset; sed Browniana doctrina, quæ tam per Italiam invalescebat, in causa fuit, ut fervens ejus ingenium a simplici, et genuina veritate recederet: et phantasiæ suæ vi ac praestigiis raperetur; laus tamen illi est tribuenda, qui de re medica optime meruit, et nova quaedam antea incognita docuit. Experientia una est illa, quæ in scientiis facem praeseferre debet ad nova cognoscenda; inde theoria sequatur, cui analysis accedat, ut justa, et apta ratiocinia sequantur: at si theoriæ et analysis experientiæ praemittantur, obscura est via, errores multiplicantur, quibus ingenia hominum nonnullorum involvuntur, qui dum veritatis ministerium sequi putabant, et reapse semetipsos fefellerunt.

Contagiorum doctrinæ obscuritas ex dictis elucet; nunc ad theoriam accedamus.

» Theoriae fundamentum generatim admissæ de » contagio in eo consistit, ut credantur morbi con» tagiosi pendere semper a veneno, quod nonnulli » Virus appellant; nempe a materia subtili, et sem» per identica, quam homines invicem aliis commu» nicant.

Juxta hanc hypothesim omnis morbus contagiosus a veneno derivatur; at quibus observationibus hæc propositio superstruitur? Quis nescit morbum contagiosum absque veneni actione non posse sponte ex se evolvi? Inter contagia Rabies nonne

in nobis, et praecipue in aliis animantibus sponte oritur, et aliis transmittitur insitione, seu cutis vulneratione? Variolæ inter nos fere quotannis manifestantur et late grassantur, etsi non rarum sit urbes integras longo tempore ab iis immunes esse; dein maxime eas ipsas urbes morbo exagitari, quin innotescat unde morbus processerit: Observabatur porro transactis temporibus epidemiam variolosam septimo quolibet anno insurgere, quæ mortifera clade in infantes saeviebat. Si Virus putamus abditum et innocuum sex annorum spatio fuisse, cuinam causæ nulla actio veneni tribuenda est? an non potius suspicari possemus, virus illud a plurium causarum commixtione in nobis citius ocyus generari et evolvi; ita ut, etsi in plerisque hominibus Variola appareat, nonnulli tamen ea expertes evadant? Et cur expertes? quia videlicet aliqua in iis causa desideratur, aut ea humorum crasi donantur, ob quam inter homines variolis affectos incolumem vitam transigere queunt. Id nuperrimis quoque Medicorum doctrinis demonstratur. Cum clarissimus Jenner puris vaccini insitione homines a Variolis tueri proposuit, omnes de tam utili invento summopere fuerunt solliciti; verum experientia nos tandem edocuit, variolosum Virus a pure vaccino non everti, sed temperari; ita ut post aliquot annorum curriculum, ad novam vaccini puris insitionem confugiendum sit. An ille, qui primus Arabica Variola laboravit, eam ab advena accepit? An postquam nullæ fuerant variolæ apud nos, qui vaccinæ ope servatus fuerat, ideo

Variolis in posterum laboravit, quia cum aliis vixerat, in quibus nulla erat morbi suspicio? et variolosum Virus a pure vaccino moderari superius monui; non enim me latet, variolas in iis, quibus vaccinæ virus injectum fuerat, characteribus destitui, qui Arabici morbi proprii sunt.

Nunc ad actionem considerandam contagiorum in nostro organismo gradum faciamus. Principium contagiosum nil aliud videtur mihi esse intelligendum, quam materies, quæ sub determinatis circumstantiis, et quibusdam hominis dispositionibus, ingeneratur in specie humana, quamdam formam et peculiarem characterem induens, unde in suis effectibus distinguitur a reliquis aliis morbis; evolutum principium, per contactum mediatum, aut immediatum, in alio propagatur. Credo equidem hanc generalem definitionem complecti quoscumque hujusmodi morbos, et omnes illos excludere, qui, etsi nullam cum iis affinitatem habeant, inter contagia tamen adnumerati fuerunt.

Vidimus quæ causæ faveant contagii evolutioni; dispositiones nunc sunt inquirendæ, sub quibus organismum contagioso morbo affligitur.

Causas physicas et morales commemoravimus, quæ contagiorum evolutioni praecipue ansam praebent, ut nostram machinam invadant; iis aliæ etiam accedunt, quæ priorum actioni summopere prosunt. In Oriente, ubi leges de Sanitate tuenda negligenter observantur, ubi nulla mundities, ubi Religio ipsa inertes et squalidos cultores suos facit, cælum sere-

num, ac calidissimum vires debilitat, et animi robur emollit, ibi contagiosæ affectiones nascuntur, propagantur, et regionem amœnissimam depopulantur. Inter nos e contra non ita facile contagia erumpunt, qui morum cultura et legum de sanitate servanda propositarum religiosi custodes sumus, et bono corporis robore fruimur. Quod si inter nos morbus oriatur miserrime saevit; observamus etiam a morbo mixtum organicum nulla labe infectum vehementer deprehendi, quod quotidie fere animadvertimus in contagio Vaccino, quod insitione receptum totum invadit organismum; propterea que a variolis arabis immunis evadit, ut plurimis experimentis constat. Addam quoque, non solum Variolæ insitione ab Arabico morbo nos defendi, sed aliarum quoque aegritudinum vim, et actionem imminui, quod compertum habemus quotidianis observationibus.

Nunc organa consideremus necesse est per quæ possunt Contagia communicari; et actionem deinceps, quam in ipsa exercent, perpendamus.

Organa primum in interna et externa dividimus: interna, quæ a cavitate oris initium habent, et machinæ totius compagem constituunt. Externa in universi corporis superficie sedem habent. Inter organa externa est in primis cuticula, quæ ab induratione, et exsiccatione derivatur superficiei externæ corporis mucosi, inducta a continua pressione, quam in ipsum corpus mucosum exercent corpora, quibus circumdamur. Ad hujusmodi indurationis causas pertinent quoque, juxta clar. Morgagnum, aqua amnii

dum fœtus uteri cavitate coercetur; post ortum vero accedit aer atmosphaericus, ita ut idem clarissimus Morgagnus docuerit: » Nil aliud esse cuticulam, nisi » ipsam summam cutis superficiem a compressione » externa induratam, et quasi coalescentem. (*Adversaria Anatomica* J. B. Morgagni. Bassani). Ex hoc facile explicatur quomodo cuticula renovatur si aliqua læsione tollatur, aut aliquo morbo afficiatur cutis, eoque præcipue contagioso desquamationem inducente. Cuticula illa viam praebet pilis a cute exsurgentibus, et vasculis tam exhalantibus, quam absorbentibus, quæ ad cutim pertinent. Error est post tot, tantasque observationes et experimenta cuticulae vasa propria, et nervos tribuere, ut paucis ab hinc annis tribuit ipsi Genuensis Chemicus Mojon. Cutis non cuticula contagio percellitur; et si Seneca docuit, quot sunt pori corporis, tot etiam ostiola morbi; ostiola, et poros organicos in cute habemus innumeros, per quos morbosa miasmata viam sibi facillime possunt parare; qua de re cutis inter præcipua organa enumeratur, quæ faveat actioni contagiorum irritantium, cujusmodi est maxime Syphilis.

Interna organa post Oesophagum, et Laringem, sunt pulmo, et ventriculus, utpote nimirum quia materies quæcumque, quæ aut sub vaporis, aut sub potionis forma eos textus ingreditur, validissimam impressionem exercet in texturam ipsam, quæ mollis est, et permultis vasculis, et nervis referta. Adde quod si vapor excipiatur noxiæ indolis, actio perturbatur pulmonis in sanguinem; si heterogeneum

quid ventriculum ingrediatur, non solum absorbetur; sed digestio prava fit cæterorum alimentorum. Chlori exhalationes, tussim, et sputa sanguinea; Emetica remedia vomitum gignunt; et sic similia. Qua de re sive contagium virus sit sui generis, ut quidam putant, sive minimorum vermium effectus, ut primum Lancisius, dein Acerbi existimarunt, certum est eorum actionem aut in externis, aut in internis organis animadverti. Quod si contagium in his partibus omnem vim suam non expleat, id ex eo pendet, quod fortasse illius indolis sit, ut peculiare quoddam systema corporis afficiat, postquam vel a cute, vel a pulmone, vel a narium cavea, vel a ventriculo resorptum fuerit. Typhicum virus ex: gr: nervos præcipue lædit: an vero statim ac in typhica constitutione, quis stomachi colluvie laborat, typhi symptomata in promptu sunt? necesse ergo est ut miasma illud efformetur, quodammodo absorbeatur, et nervis communicetur.

In humido vere plurimi in rheuma incurrunt, in aliquibus autem glandulæ parotides intumescunt, et dolent, unde Hypomala; idest in iis in quibus principium rheumaticum peculiarem cum parotitibus, fere dixerim, affinitatem habeat; et a parotitibus non raro ad testes morbus transit, quia videlicet illius morbosi elementi proprium est organa illa præsertim insectari, etsi a cute aut a pulmone in sanguinem delatum in tot aliis partibus potuisset immorari. Observamus insuper multos esse, qui actioni contagiorum se se exponunt; nec aliquid dam-

ni per aliquod tempus contrahunt, eo usque dum virosa contagii actio localem irritationem non determinet ad illud organum, quod ad id prædispositum sit, plerique omnino immunes sunt ob prædispositionis defectum; ex quo fit ut nonnulli læves patiantur affectiones, propterea quod contagium ita in eis non valuerit ad specificum morbum gignendum; sed tantummodo organismum ad universalem languorem redegerit.

Duæ igitur viæ contagiis patent, quibus in organismum ferantur, cutis scilicet, et os per pulmonem, et ventriculum. Cutis præcipue afficitur morbis illis contagiosis, qui vel mutationem aliquam in ejus textura promovent, ut, exempli causa, scabies; vel qui necesse habent ut absorbeantur, uti pestis principium, venerea lues etc. Cum cutis materias morbificas absorbet; moleculæ hujusmodi morbosæ, quamvis multæ non sint, ut morbum contagiosum ingenerent; tamen congregantur simul in organo sibi affine, et sensibilem ibidem mutationem gignunt; quæ nisi progressu temporis morbum contagiosum principio absorpto respondentem inducit; tamen affectionem indolis, aut diversæ, aut similis certissime ingenerat. Hac de ratione tot morbi explicarentur, quas Pathologi intercurrentes dicunt, et quos sævire observamus inter alias annuas affectiones apud nonnullas gentes. Nonne frequentes febres biliosæ, et putridæ, et vomitus generis diversi, qui eas comitatur, principiis illis originem suam debent, quæ communia sunt febri flavæ Ame-

ricanæ; quæ principia non satis valuerint ad morbum similem excitandum, sed morbum aliqua ex parte similem? Nonne sic clare explicaretur actio specifica virus contagiosi, ita constans in eo organo, ut etiam exigua quantitate affectionem producat sibi aliquo modo analogam? Et spontanea, ut nonnulli peritissimi Medici credunt, evolutio contagiorum, non ne simul clare appareret? Quis id contenderet? An non omnes actionem specificam contagiis concedunt? An non omnes fere Medici, quod mihi vere non arridet, affirmant, contagia latere posse aliquo tempore in organismo, et dein sub quibusdam circumstantiis emergere? Ex tot hypothesibus illa certe melior erit, quæ singula illa phænomena complectitur, et facta facilius intelligenda exhibet, quæ in contagiorum evolutione quotidie contingunt. Quæ ego conjeci consentanea mihi videntur doctrinæ celeberrimi Gaabii, qui morbi semina in medium protulit; id ipsum maxime conferre posset ad citius ea intelligenda, quæ de quibusdam affectionibus tradita sunt; quæ affectiones, si earum vim pertinacem, symptomata, ingressum, decursum, et convalescentiam consideremus; non jam aliquam cum contagiis similitudinem habent, sed tales sunt ob causas antedictas.

Quare virus contagiosi quædam compositiones dici possent; namque vi et essentia cognita, talis curæ methodus est adplicanda, quæ organo adfecto, ejusque Physio-Pathologiæ respondeat.

Contagiorum actio specifica, ut melius appa-

reat, atque ut de majori eorum actione in unum potius, quam in aliud organum persuasi simus, oportet lege consensus juxta antiquorum opinionem, et juxta recentium doctrinam connexionem dynamicam examinare.

Persæpe accidit, ut impressio facta in partem aliquam corporis humani viventis, sat sensibilem effectum producat in alia parte, quæ ab ea omnino differat. Natura autem hujus consensus talis est, ut plerumque animalis œconomiæ perturbatio in loco primitus adfecto, aut nulla, aut nimis levis adpareat præ illa, quæ in parte ob consensum affecta experitur. Tissotus hunc consensum vel activum, vel passivum nominavit. Primus pertinet ad actionem, quam unum organum exercet in organum aliud, quod cum ipso sit in consensu passivo, ob sensationem, vel affectionem ibidem inductam: hinc celeberrimus scientiæ Medicæ Parens: consensus unus, conspiratio una, consentientia omnia: ex quo patet illum in organismo admirandam virium conjunctionem, et harmoniam functionum cognovisse.

Simplicem partium structuram non nisi in organorum connexione Physiologi, et Pathologi inspiciunt, ut functiones, et morborum genesim explicent; quamobrem in corpore humano diversarum partium quædam mutua relatio adest, quæ duplici modo consideratur; videlicet quoad textum, et quoad dynamen. Prima ea est perquam varia proportione, et ordine vario, partes simul colligatae sunt. Altera pertinet ad officium, et virium, et functionum con-

sensionem; illa inter partes vicinas, hæc inter remotas locum habet; prior denique Chirurgorum, alia Medicorum diligentiam et studium requirit.

Connexio dynamica apparet ex consensu, ex associatione, ex oppositione. Consensus est cum parte una adfecta, aliæ partes hujusmodi affectionis participes fiunt, de quo consensu recte sensit celeberrimus Cullen. Quoad hanc primam consensus speciem difficillime admodum percipimus, quomodo omnes partes eodem tempore ab aliqua potentia afficiantur. Nihilo tamen secius cum id nequeat in dubium revocari, nescio quomodo de contagiorum evolutione idem dici non possit; atque idem probat magis, quod de hac re supra exposuimus; fatendum tamen est in violentia invasionis non posse absolute definiri, quodnam organum prius affectum fuerit, cum singula organa peculiares suos stimulos et peculiarem sentiendi modum habeant.

Consensus ille dynamicus inter quascumque partes locum habet, et in universalem, et partialem dividi potest. Primus confundi non debet cum irradiatione atque excitamenti morbosi diffusione, quod accidit in statu phlogistico; consensus hic universalis nil aliud est, quam affectio organi transmissa ad alia organa, quæ cum illo sunt in statu remotæ consensionis. Partialis consensus ille est qui inter partes quasdam manifestissime intercedit. Si contagiosa affectio hepar invadit, quemadmodum in febri flava americana, deliria, et mentis aberrationes consequuntur, quod evenit ex specifica actione illius in hepar,

quod prædiligit, et violenter aggreditur, atque hinc ad cerebrum transit ob partialem cum illo Dynamicam connexionem.

Tissotus effectum potiusquam causam nos curare affirmat; hinc in errorem, vel saltem in ambiguitatem incidimus; unde Arti medicæ probrum, aegrae humanitati damnum comparatur. Innumeri sunt consensus, qui ob circumstantiarum varietatem, quæ ad morbosum excitamentum adjiciuntur, semper differunt inter se. Hinc præcipuos consensus partiales esse conjicio, qui inter quædam systemata, et organa, sive apparatus manifestantur, de quibus sat egregie scripsit Bichat.

Consensum nos, sive modum quo affectionem sentiunt alia organa, quæ intime cum aliis colligantur, peculiari ratione consideramus, ut ex animadversionibus nonnullis elucescat.

I. Principium contagiosum afficit potissimum textum cellularem; textus istiusmodi per universum corpus late explicatur: hinc facili negotio intelligitur, quomodo perturbatio ad plurima organa transire queat; transit vero præcipue ad hepar, et non raro hepatitis, et icterus a sola perspirationis suppressione consequitur.

Cum hepar laborat, cerebrum quoque (ob commercium inter hæc viscera adhuc ignotum) videmus morbo torqueri; quod profecto nonnisi textuum, et nervorum continuitati adscribendum existimo. Et si febris flava Americana, cujus fomes hepati adhærere videtur, per contactum recipiuntur, ut nonnulli

contendunt, mea propositio fidem magis magisque mereretur.

II. In morbo contagioso, qui cutem occupat, membranæ illæ morbosæ fiunt, quæ cum cute ipsa continuæ sunt. Hinc variolas non raro in interioribus tunicis stomachi atque intestinorum conspersas Medici observarunt: hinc tussis, et pulmonum affectiones in morbillis, et præsertim in miliari morbo idiopathico; hinc a morbo cutaneo derepente sanato tot phænomena, quæ ab Auctoribus recensentur, et quæ sympathiam, et nexum partium omnium procul dubio demonstrant.

III. Viis illis seu atriis, per quæ contagia hominem aggrediuntur, aliam addere oportet, eamque potissimum attendendam, quam nobis suppeditat nerveum systema, quod a venenis quibusdam contagiosis, fere dixerim, prædiligitur, et præcipue a typho, ab hydrophobia, ac viperæ, aliorumque animalium morsu. Videmus profecto in contagio Typhico summam virium dejectionem adesse, pondus in præcordiis, vertigines, aurium tinnitum, difficilem respirationem a suspiriis interruptam; deliria accedunt, linguæ et manuum tremores, collapsus in morbi progressu, stupor, et humorum putredinis signa conspiciuntur, ut ex petechialis, et miliaris exanthematis adparitione elicere fas est.

In Hydrophobia: dolores vagi, et spasmi, languor, anxietas, suspiria, solitudinis desiderium ægrum extorquent; nunc gemitum ab imo pectore æger emittit; nunc luctuosis imaginibus divexatur; deglu-

tiendi difficultas adest cum suffocationis sensu; liquores limpidos, aerem frigidum, et sonos horret, ex quibus convulsiones excitantur; in filios, et amicos irruit, sed postea veniam petit; nunc mortem optat; defficiunt tandem vires; gelidus sudor corpus tegit, cui deliria, sopor, apoplexia, et mors succedunt. In viperæ morsu vertigines pariter, virium dejectio etc. in promptu sunt.

Huc quoque Pestem illam Moscoviticam referre possumus, quæ momento temporis vitalitatem extinguebat. Ecquod Systema est in humano corpore, quod statim a læsione tam diros effectus præseferat, præter nervos?

Ex animadversionibus superius propositis patere mihi videtur, dari in continuitate membranarum, atque in analoga earum functione adsociationem quamdam, quæ magis magisque in nervorum distributione elucescit; qua fit, ut quemadmodum stimulus, et irritatio, sic quoque contagium partibus aliis communicetur præter illas, quæ ipsi aditum præbuere.

Satis habui quoad mihi par erat, ut ab relationibus partium Sympathicis, quæ semper ab iis, non vero ab aliis causis dependent, explicationem quamdam Phænomenorum demonstrarem, quæ a contagiis in nostro organismo induci possunt.

Verus enim Medicus religiose adplicat principium analyticum ad facta, quæ sub oculis quotidie occurrunt, in quo sumus Cesenæ Pathologus omnes excelluit.

Virus contagiosum ergo peculiarem actionem, aut in cutem exercet, aut in organa interna, aut in nervos, et per hasce vias, quas indicavimus organismum aggreditur hac actione posita, quam a principio irritativo deduco: quemadmodum in cute existunt nervi, et vasa venosa, et arteriosa, et ille exquisitus contextus vasorum absorbentium, et exhalantium, qui totius mixti organici compendium dici potest; ita impressio exsurgit, quæ illarum partium vitalitatem modo nunc manifesto, nunc occulto perturbat; atque inde ulterius progreditur, et prout hoc vel illud systema exagitat, sequitur affectio modo unum, modo aliud ex visceribus lædens, quæ agitatio determinatur a majori, vel minori prædispositione, unius, aut alterius apparatus ad contagiosum principium contrahendum: quod in aliis etiam systematibus diffundi, ex eo conjici potest, quod molestiam quandam ante morbum percipimus. Ita pariter si contagium internas primum partes afficiat (ut in iis nervosis morbis accidit, quos superius memoravi) cutis functiones statim perturbantur.

Ab argumentis allatis sat elucet explicatio phænomeni invasionis contagiosæ. Contagia ut penitus innotescant omnem a nobis diligentiam expostulant, et ut bene curentur, atque etiam ut præcaveantur eorum effectus, et propagatio; quare omne studium est conferendum in eorum evolutione, et incremento distinguendo; nec non perpendenda omnis relatio, proportio, et vis in eorum principio, complicatio-

nes considerandæ, et singula organa, quæ directe, vel indirecte affici possunt; denique ea seligenda studii methodus, quæ magis opportuna ad consequendum finem videtur, in quibus ante omnia, ducem sequamur naturam necesse est.

Densis tamen tenebris est adhuc involuta contagiorum indoles, nec methodus explicandorum phænomenorum in quocumque morbo acuto, quam sequuntur Scholæ, sinit adhuc ut cognoscamus, in quo differant contagia, quæ febrem flavam, et pestilentialem, et Typhum producunt; imo qua de ratione istiusmodi morbi a febre biliosa discrepent, cum qua maximam habent analogiam. Morbi ex bile acuti sunt, inquit Galenus, ex qua gravissimæ affectiones exsurgunt.

Huxam certos nos reddit summum esse imperium bilis in omnibus febribus putridis, et malignis, (vide de febribus putridis) ex quo fit ut præcipue hepar nostrum acumen expediat; hinc consequetur, quod contagium per absorbentia ad hepar a cute trasmissum, perturbationem exerat in illo viscere, in quo actionem electivam innuit. Et sane Schreiber ait: bilem esse liquorem illum, cui character pestilens profundissime impressus est: et celeberrimus Valli de peste Constantinopolitana refert, canibus bilem injectam fuisse, et inde pestis Symptomata exorta esse, quod in aliis non accidit, qui carne infecta usi sunt. Hinc febres omnes biliosæ, quæ cum vehementi inflammatione, cum putredine, et malignitate complicentur, in tanta analogia cum

affectionibus contagiosis sunt, ut progressu temporis contagii characteres inducere, et morbum indolis pestilentialis latissime ingenerare possint. Talis febris ardens Hippocratis, acutae stomaticae Heisterj, Gastricae acutae Burserii, quae febres sunt, aut remittentes biliosae inflammatoriae, aut remittentes biliosae putridae. et in contagiosas verti possunt. At omissis quæ ad argumentum confirmandum colligi queunt concludam: morbi contagiosi specificam in interna et externa organa actionem habent; ad hæc per tres vias jam enunciatas transmittuntur; unde existunt omnes perturbationes ex nervosa potentia, et ex membranarum relatione. Morbi contagiosi immutari, et non immutari possunt juxta prædispositionem organorum, quæ prædiligunt; tandem nonnulli ob hanc ipsam prædispositionem, etiamsi contagiosi non sint tales evenire possunt.

Sic de cotagiis dicere sentiebam: et si in hoc argumento vires meæ defecerunt, humanitas vestra, Præceptores, et Auditores optimi, veniam mihi concedat, et illa sententia sit in animo vestro.

In magnis, et voluisse sat est.

THESES DEFENDENDÆ

I. Absurdum puto scrophulam, quoad conditionem Pathologicam consistere in lymphangioitide, verum oriri ex defectu functionum vitæ vegetantis.

II. Scorbutum non a flebite, ut Neoterici prædicant, sed ab humorum Crasi mutata esse repetendum arbitror; nec more morborum phlogisticorum esse pertractandum.

III. Ferrum ac ejus præparata facultate deprimendi minime pollet.

IV. Tartarum Emeticum, semper qua stimulans remedium esse habendum censeo: et si in peracutis Peripneumoniis cum ægrotantium levamine adhibeatur, revellentis ad instar agit.

V. In miliari morbo dum eruptio non adpareat, balnea tepentia, tum, et quando frigidis sint anteponenda, quidquid Medici nonnulli persentiant.

VI. Diatheseos natura, non semper una, et eadem.

VII. Remedia drastica, nunquam in Gastritide, aut Enteritide sunt propinanda.

VIII. Venæ sectio in morbis exanthematicis primis diebus quandoque necessaria est.

IX. Tumores Lymphatici, non semper ex ruptura vasorum ejusdem nominis oriuntur.

X. Chlorosis non in Angioitide consistit, sed in infracta Hæmopoesi.

XI. Hepatis conditio, ac status moralis ægrotantis in magnis Chirurgicis operationibus præsertim est respicienda.

XII. China, ac ejus præparata, minime hyposthenica facultate gaudent.

Errata			Corrige
Pagina	Linea		
7	20	Continue	Continui
8	10	Roculet	Roudet
10	12	poterunt	poterant
10	30	autem	antea
23	31	recipiuntur	recipitur
25	24	explicationem	ut explicationem
29	15	sint	sunt